



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 6. Variæ Præsulum sententiæ circa nonum & decimum articulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](#)

Sæcul. XVI. nes, quæ absque dubio inter Theologos
A.C. 1551. fuissent suscitatae, si quædam ejusmodi
opiniones fuissent discussæ, ac proscrip-
tæ. Insuper providum hoc consilium
ipsem et summus Pontifex vehementer
ursisse videtur, dum disertis verbis præ-
ceperat, ut salvæ relinquerentur Scho-
larum opiniones, nec Theologorum ullus
absque necessitate offenderetur, sed potius
omnium Catholicorum vires adversus
Sectarios juncta opera intenderentur.
Id quoque accurate fuisse observatum
ex ipsis deprehenditur verbis, quibus
Synodi Decreta fuere concepta: anxia
enim, si ita dicere fas est, religiositate
Concilii Patres studiose inquirebant in
voces, quæ ex probatis Scholis nullam
ullo pacto offenderent, veritatem tamen,
quæ definiretur, exacte declararent. Hæc
agendi ratio magis adhuc elucebit in
decisionibus, quæ in decima quarta
Sessione circa Sacramentum Pœnitentiæ
fuerunt promulgatæ.

§. VI.

*Variæ Praefulum sententiae circa nonum
& decimum articulum.*

Pullav. c. 2. Postquam Legatus hæc monita Patri-
n. 11. & 12. bus proponebat, Tridentinus Car-
dinalis, cui proxime dicendi jūs erat,
præfatos condemnabat articulos, simul
tamen

tamen suadebat, denegandam non esse Sæcul. XVI.
Germanis, etiam Catholicis, utriusque A. C. 1551.
speciei sumptionem, idque plurimis rationibus publicam utilitatem concerten-
tibus comprobare nitebatur. Circa
nonum vero articulum unacum Legato
censebat, nullam de gratiæ inæquali-
tate mentionem esse faciendam, sive
demum sub una, sive utraque specie
Sacra Synaxis sumatur. Agens deni-
que de articulo decimo circa noxas ante
Corporis Christi sumptionem expiandas,
existimabat omnino hæc verba esse ad-
denda, *habita copia Confessionis realis, aut*
saltem in voto ita, ut Confessio, quam
primum peragi poterit, Deo promittatur. In eandem ferme sententiam Mogunti-
nus, & Trevirensis Electores abibant, qui-
bus etiam accessere Episcopi Zagabrien-
sis, & Viennensis Romanorum Regis
Oratores. Verum Turritanus, & Gra-
natensis Archiepiscopi, necnon supre-
mus Ordinis S. Augustini Præpositus
contendebant, minus gratiæ illis con-
ferri, qui sub unica tantum specie Eu-
charistiam accipiunt. His ceteri omnes
adversabantur, aut saltem hanc quæ-
stionem potius silentio premendam cen-
sebant: Unde hæc prævaluit sententia,
quod æqualis sit gratia, sive Christi Cor-
pus sub una, sive sub utraque specie
recipiatur, satis tamen esset, omnem
hac

Sæcul. XVI hac de re mentionem prætermitti. Quod
A.C. 1551. articulum decimum , seu præceptum
 noxas ante Communionem expiandi
 spectabat, non minus inter Synodi Præ-
 fules , quam Theologos nonnulla erat
 opinionum varietas; quippe arbitraban-
 tur plerique , quod confessionem præ-
 mitti , ita necessitas suadeat, ut tamen
 oppositæ opinioni nota hæresis nondum
 inuri deberet.

§. VII.

*Canones confetti, ac Patribus in qua-
 dam Congregatione exhibiti.*

*Pall. l. 12. c.
 2.n. 14. & 15.* Rebus ita discussis novem Patres scien-
 tia, atque auctoritate ceteris magis
 conspicui feligebantur, qui decreta con-
 ficerent, iisque circa decimum articulum
 Canonem eodem omnino tenore, quo
 postea in Canone undecimo exhibebi-
 tur, concinnabant, hæc tamen adde-
 bant: *habita copia Confessoris.* Itaque
 Canones, hoc pacto concepti primo in
 Conventu die prima Octobris , & postea
 in alio sexta ejusdem Mensis habito ad
 Synodi Patres referebantur, moxque ad
 edicendas sententias cuncti convenerunt,
 exceptis horum Canonum Auctoribus;
 his enim duntaxat injunctum, ut ipsi, si
 quid ab aliis obijceretur , de labore suo
 rationem redderent: cum vero in Cano-
 ne